

perunt; & sic cum gaudio Pisas revertere sunt. In qua captione fuit Coctus Pisanus Consul, qui in una galæa ibat pro Communi Pisano ad Miramolinum Mumini Regem Bugæ.

Eodem Anno Januenses ^{IX} armaverunt galæas pro vindicando naves, quas perdiderant, navigantes in ^{Mallari}. Cum Iudice Petro contra Pisanos certa pacta fecerunt; & Pisani XVII. armantes galæas, Januenses usque Januam fugaverunt. Eodem tempore, cum Pisani à Januensibus pacem peterent, & eam habere non possent, armaverunt in cursum; & plura damna in diversis locis Januensibus intulerunt. Itaque V. Calendas Augusti Pisas cum duabus devictis galæis, & aliis Lignis præter combusta, & cum CCCXXX. Januensibus captis triumphanter redierunt, præter X. galæas Pisanorum, quarum quinque iverunt destruendo Riperiam Romanorum, & naves capiendo. Aliæ quinque in Provinciam navigantes, ultra quatuor Ligna ceperunt, quibus combustis cum quadraginta Januensibus Pisas revertere sunt.

Eodem Anno volentes Januenses vindicare se, armaverunt galæas plures, & Pisani similiter; sed Dei gratiâ Pisani eisdem dederunt & duplicaverunt damnum.

Item eodem Anno Pisani XLVII. galæas miserunt contra LVII. Saracenorum galæas, quæ venerunt in hoc mare; sed non inveniunt eas, iverunt ad Civitatem-Veterem, & præliando per diem unum, castrum ceperunt, & usque Taracinam multa Saracenorum Ligna ceperunt; habebant enim cum Imperatore Frederico Romani tunc guerram.

Eodem Anno de mense Octobris Januenses propter dolorem guerræ, quam cum Pisanis perdiderant, cum Lucensibus contra Pisanos juraverunt, promittentes, quod eos ut Januenses per mare portarent, & duas domos in Portu Veneris eis darent, & turrim de Motrone suis sumptibus facerent & donarent.

Anno ¹¹⁵⁵ Imperator Fredericus Rainaldum Cancellarium & Colonensem Archiepiscopum Pisas misit, qui exercitum facere statuit in estate futura in Siciliam, Apuliam, Calabriam, & contra Romanos; & in publico Pisanorum Parlamento juratum est per quemdam Domini Imperatoris Cappellanum, & per Consules Pisanorum. Præterea ibidem prædicti Consules juraverunt Papam Paschalem pro Catholico tenere, & ei tamquam Catholico obedire, & Clericos Pisanos jurare facere promiserunt. Similiter & Archiepiscopum Villanum, qui nullo modo ei obedire voluit, promiserunt non recipere, nisi ipsi Papæ obedi- ret, nec Rolando, qui Papa Alexander dicebatur, obedire; & alium Archiepiscopum in Pisana Sede eligere, ipsumque conferendum ipsi Papæ Paschali præsentare, tactis Evangeliiis promiserunt. Postea quidem octavo Calendas Aprilis Pisani volentes obedire præceptis prædictorum Imperatoris, & Papæ Paschalis, Benincasam Canonicum Sanctæ Mariæ Majoris Pisanæ in Archiepiscopum elegerunt, cui ipse Papa Sabbato Sancto Sacerdotium de-

dit, & die Lunæ Paschæ honorificè cum suis Cardinalibus in Archiepiscopum consecravit. Et sic Pisas cum Consulibus, qui cum eo iverant, reversus est X. Calendas Junii (5).

Eodem Anno Rainaldus Cancellarius prædictus cum magno exercitu Civitatem-Veterem obsedit, & postea pro Pisanis misit, & civitatem ipsam illis venientibus devicit; & cepit ibi quadraginta Romanos, qui ibi erant cum Petro ^{Lato}, quibus vitam gratiâ Pisanorum donavit, & civitatem ipsam, & incolas ad serviendum Domino Imperatori retinens, Tusculanum petiit. Quod audientes Romani, de mense Maji iverunt Tusculanum potenter; fuerunt enim milites, & pedites quadraginta millia. Et cum die Lunæ Pentecostes ^{quarto} Calendas Junii Tusculanum devastarent, cum Imperatoris exercitu præliati fuerunt, & demum devicti, ita quod ex eis in bello mortui sunt quatuor millia, & capti quinque millia.

Eodem Anno XI. Calendas Augusti Imperator superscriptus cum Papa Paschali prædicto Romam venit apud Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, quam turribus mœnibusque munitam invenit, eamque pugnando cum Romanis devicit. Et die Calendas Augusti Papa Paschalis in ipsa Ecclesia cum Imperatore, & copiosa Romanorum multitudine gloriosissime celebravit. Quia tamen major pars Romanorum adhuc resistebat Imperatori, ipse Pisas pro auxilio misit. Quod audientes Pisani miserunt ad eum Romam octo galæas bene armatas, & duos Consules, & alios probos, & sapientes Viros; erant enim semper, & maxime tunc Pisani ad servitium ipsius Imperatoris parati cum ^{quinquaginta} galæis, & XXXV. sagittis, atque aliis multis Lignis, personis, & potentes victualibus, & armis. Quæ octo Pisanorum galææ Romam intrantes, & per Tyberim navigantes, plura damna intulerunt Romanis in villis, & usque ad pontem Tyberis vexilla Pisana posuere. Quod videntes Romani, omnia Imperatoris subierunt præcepta, & CCCC. obsides ei dantes ^{quinquaginta} Senatores, ut præcepit Imperator, constituerunt. Quo facto Imperator exultans, & Pisanos multum regratians, prædictis octo Pisanorum galæis licentiam tribuit redeundi, & XII. Calendas Septembris Pisas cum gaudio redierunt.

Eodem Anno Pisani miserunt Ambasciatores ad Regem Siciliae pro facienda secum pace, sed non fecerunt; non enim convenerunt in pactis.

Eodem Anno, Ab antiquis temporibus non fuit tam deforme tempus visum, nec tanta abundantia aquarum, quanta fuit à medio Septembris, usque ad pridie Idus Novembris. Fuerunt enim illo tempore novem inundationes maximæ fluminis Arni, quæ villam de Pucigiano, & Arcus magni Pontis de Stagno destruxerunt, & Molas inclinaverunt ipsius Pontis. Et è converso non fuit visum tam glaci- tale tempus, & crudele, & aëris ferenitas, & ariditas, quanta fuit à pridie Idus Novembris usque ad medium Januarii, quod tempus Astro-

Ecclesiæ in Archiepiscopum 8. Kalend. April. honorificè elegerunt. Villanus Archiepiscopus, Pistoriensis origine, aufugit Gorgonam. Eodem anno Topertus Dodonis, Bulgarinus An- fossi Consules, cum Sapientibus Marzucho, & Ramondo Gaitani, & quampluribus aliis, cum 8. galæis fuerunt cum Imperatore Frederico ad subjugandam Romam.

In editione Ughelliana hæc ita narrantur:

(5) Anno Domini MCLXVIII. Pisani Consules cum octo galæis fuerunt cum Raynaldo Cancellario Imperatoris ad capiendam Urbem veterem. Eodem anno præceptis Imperatoris, & Papæ Paschalis obediunt, Benincasam Canonicum Sanctæ Mariæ Pisanorum majoris Tom. VI.

Itaque

domini imperatoris seniluna Th- chulanensis perit c. M

potenter c. L. subiect

quidam c.

Pisanorum c. M

potentis c. M

tamen deforme temporis c

tamen c.

quarum c. M